

S. Laurentii a Brundisio, O.F.M. Cap.
Doctoris Ecclesiae

MARIALE

PRIMA PARS

De Laudibus et Invocatione Virginis Deiparae

I. In Visionem S. Ioannis Evangelistae

SERMONES SEPTEM
IN SABBATIS QUADRAGESIMAE

Apoc. 12, 1-5

SERMO PRIMUS

Sabbato Cinerum

De Admirabilitate Virginis Deiparae ex verbis visionis¹:

Signum magnum apparuit

*Signum magnum apparuit in coelo; mulier
amicta sole, et luna sub pedibus eius, etc.²*

I. Cum Ioannes Apostolus et Evangelista, dilectus Christi discipulus et Sanctissimae Virginis Deiparae post Christi crucem singularis filius, in Patos insula relegatus pro Christi fide multa pateretur, ibidem etiam multis a Deo consolatus Fuit coelestibus ac divinis revelationibus. Nam, ut ille ait: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundant consolationes nostra:*³ nam: *Secundum numerum dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam*⁴.

Singulari studio Ioannes qui supra pectus Domini in coena recubuit⁵, et Mariae optimam partem elegerat quae non auferetur ab eo⁶, intentus fuit semper, post Christi Domini ascensionem in coelum, divinis contemplationibus, sed tempore tribulationis multo impensius divinis rebus operam dabat; hic enim sanctorum mos fuit. Quare cum Ioannes tunc temporis « ardentiori flamma succensus raperetur in Deum, et seraphicis quibusdam

¹ LORENZO da BRINDISI, *Opera Omnia*, Vol. I, Patavii 1964, pp. 5-15.

² Apoc. 12, 1.

³ 2. Cor. 1, 5.

⁴ Ps. 93, 19. Vulg. habet: *Multitudinem loc.: Numerum.*

⁵ Cf. Io. 21, 20.

⁶ Lc. 10, 42.

ardoribus sursum ageretur, coepit etiam divinae contemplationis dulcedine abundantius solito multoque copiosius superfundi, coelestiumque immissionum cumulatus dona sentire »⁷.

Quare, sicut *Deus Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*⁸ consolatus illum fuit, sicut olim Iacob patriarcham visione scalae coelestis⁹, Moysem divina apparitione in rubo ardenti¹⁰, tres pueros in formace ardenti angelica consolatione et coelesti refrigerio¹¹, et sicut Paulum, consolationis ergo, rapuit in tertium coelum in ipsum paradysum, et coelestis gloriae visione modo ineffabili recreavit¹²; ita Ioannem multis modis consolatus fuit. Saepe, reserato coelo, ostendit ei sicut Stephano gloriam paradisi, gloriam Christi, gloriam Dei¹³. Saepe illum visione et locutione Angelorum laetum reddidit, et gaudio magno perfudit. Saepe de coelorum sublimi Salvator dulcissimus ei apparuit. Saepe etiam visione Paternae gloriae dignatus fuit. O felicem Ioannem, ter quaterque beatum, munere divinae caritatis! Quia diligebat eum Iesus¹⁴.

II. Unum deesse poterat Ioanni. Diligebat ipse super omnia Christum, pleno affectu, vere ex animo, ex totis praecordiis, sicut dilectissima sponsa amantissimum sponsum. Propterea visione Christi tanto gaudio perfundebatur. Sed quis nesciat quod Virginem etiam Deiparam, Sanctissimam Christi Matrem, summa pietate colebat, summa prosequabatur caritate tanquam dulcissimam et amantissimam matrem? Sciebat enim quod ab ipsa similiter tanquam filius carissimus diligebatur post Christum. Nam et Matri Christus de Ioanne dixerat: *Ecce filius tuus*, et Ioanni de Matre: *Ecce mater tua. Et accepit*, inquit, *eam discipulus in sua*¹⁵: accepit in propria.

Quid, quaeso, proprii Ioannes habebat in mundo, qui ut Christum sequeretur, omnia reliquerat, patrem etiam et matrem, imo et animam suam? Quomodo in propria accepit Virginem, Christi Matrem, qui, relictis omnibus, proprii nihil possedit? Sed affectus ostenditur. Accepit eam tanquam rem supra modum carissimam, tanquam inestimabiles divitias, infinitumque thesaurum. Illam existimabat thesaurum suum, omnes divitias suas, omnia bona sua. Sic Ioannes Virginem Matrem magno, ineffabili, inestimabili prosequabatur affectu. At vero non multis annis post Christi Domini ascensionem in coelum, Maria quoque ad coelestia regna assumpta a Christo fuit, ut regina assisteret a dextris Summi Imperatoris *in vestito deaurato circumdata varietate*¹⁶. Nam, quintodecimo fere anno post Christum, Virgo Deipara in coelum assumpta fuit. Ioannes autem usque ad

⁷ Ex S. Bonaventura, *Leg. 1, S. Franc.* cp. 13.

⁸ Cf. 2 Cor. 1, 3-4.

⁹ Cf. Gen. 28, 12-16.

¹⁰ Cf. Ex. 3, 2-5.

¹¹ Cf. Dn. 3, 49-50.

¹² Cf. 2 Cor. 12, 2-4.

¹³ Act. 7, 55.

¹⁴ Cf. Io. 19, 26.

¹⁵ Io. 19, 26-27.

¹⁶ Ps. 44, 10.

Traiani tempore vixit. Et cum a Domitiano, « horrendae crudelitatis monstro »¹⁷, in Patmos insula relegatus fuit, iam Virgo Sanctissima in paradysum translata, ipsum superstitem in hac lacrimarum valle ad ecclesiae utilitatem, ita Christo disponente, reliquerat.

Sciens Ioannes virginem in coelum assumptam et supra omnes angelicos ordines ad Christi dexteram exaltatam, non poterat non gaudere et exultare spiritu. Sed talis tantaeque Virginis conversatione dulcique solatio et divina consolatione privatus, non poterat non tristari et nonsuam dolere sortem. Perspectum id erat Virgini et optime notum. An putamus oblitam ipsam fuisse Ioannis? Quomodo oblivisci eius potuit, quem, Christi loco, maternis fuit visceribus tenere prosecuta? Oblitus fuit pincerna Pharaonis innocentis Ioseph in carcere¹⁸, ut ingratus. Maria sic oblivisci minime potuit. Quare iuvat credere quod saepe Virgo Sanctissima Ioannem de sublimi coelorum inviseret, eumque consolaretur tanquam mater carissima unicum et dilectissimum filium simulque amantissimum.

III. Singularem autem quamdam apparitionem Virginis monumentis aeternis consignare voluisse visus est mihi Ioannes, dum ait: *Signum magnum apparuit in coelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.*

De Virgine Deipara hic loquitur Ioannes, ut Epiphanius¹⁹, Bernardus²⁰, Rupertus²¹, aliique Patres sensere. Hoc ipsum Ioannes insinuasse, imo luce clarius visus est demonstrasse, dum ait quod: *Peperit filium qui raptus est ad Deum et ad thronum eius, qui recturus est gentes in virga ferrea*²². Quibus verbis Christum procul dubio describit, Regem regum et Dominum dominantium²³, Unigenitum Dei et Virginis Deiparae Filium. Apparuit ergo Ioanni Virgo Deipara, Mater Christi, Dei Sponsa, coelorum Regina, Domina Angelorum, coelesti gloria amicta, divinisque splendoribus irradiata, mirabili cum maiestate: *Signum magnum apparuit in coelo.* Coelesti autem hac apparitione ostendere voluit Dominus Ioanni, qualem quantumque thesaurum ipsius fidei commendaverat in terra, in qua videntur repositi omnes thesauri divitiarum et gloriae empyrei coeli. Ostendere voluit per Ioannem Catholicae universali Ecclesiae, omnibus Christi fidelibus, qualis et quanta sit magnitudo et gloria Virginis Beatissimae in paradiso coram Angelis et Electis Dei; ne putaremus spretam ipsam fuisse a Deo, eo quod Spiritus Sanctus sacro quodam silentio eam in Divinis Litteris honoravit.

IV. Mire enim sobria et parca est Divina Scriptura in Virgine, sicut in Angelorum natura et gloria supramundani paradisi, de quibus in sua cosmogonia Moyses nec sermonem instituit, nec ipsam quidem ipsorum creationem attigit; cum de visibili mundi conditione,

¹⁷ Tertul. *Apol.* cp. 5 (P. L. 1, 293).

¹⁸ Cf. Gen. 40, 23.

¹⁹ Cf. *Contra Haer.* 78. (P. G. 42, 1043), et *Orat. De Laudibus Deip.* Apocrypha. (P. G. 43, 494).

²⁰ Cf. *Sermo In Dom. inf. Oct. Assumpt. circa princip.* (P. L. 183, 1007).

²¹ Cf. *In Apoc.* p. 12 (P. L. 169, 441).

²² Apoc. 12, 5.

²³ Ibid. 19, 16.

de terrestri paradiso, de hominis formatione, Divino Spiritu afflatus, multa protulerit, multaque Dei et hominum opera, historica plane sobrietate et veritate, monumentis aeternis consignarit. Num contempsit Moyses Angelorum et coelestis Ierusalem, cuius conditor et artifex Deus est, conditionem? Quare ergo praetermisit? Sed prudens abstinuit, quoniam quae dicenda erant, supra modum humanae mentis et rationis captum nostrique ingenii vires excedebant.

Sic de Virgine Deipara, inquit Epiphanius in *Panario*, *haeres.* 78: « Siluit Scriptura propter miraculi excellentiam, et ne in stuporem perduceret hominum mentem²⁴ ». Hanc ob causam nihil dicit Divina Scriptura de parentibus Virginis, de conceptione et ortu, ut agit in Ioanne; nihil de aetate, vita, moribus, instituto, nec de morte ipsius quidquam loquitur. Sed ex insperato eam introduxit, instar magni illius sacerdotis Dei Melchisedech, regis Salem²⁵, de quo Paulus ait quod fuit *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum habens neque finem*²⁶ eo quod de his nihil reperiatur in Sacra Pagina litteris exaratum. Sic divina quadam cum maiestate introductum fuit sacerdotium, tanquam coeleste quid et divinum, non humanum aut de terra exortum.

Et sicut de Deo ait Regius Vates quod silentio laudatur: *Te decet hymnus Deus in Sion*²⁷: hebr.: *Tibi silentium, laus, Deus in Sion*; quia non possumus quidquam de Deo digne loqui, sed cum silentio mirari praestat divina, quam frigide et insulse fari: sic Spiritus Sanctus, cuius afflatu *locuti sunt sancti Dei homines*²⁸, sacro hoc silentio honorare voluit Deiparam, et hoc tantum proferre quod digna fuit quae Deo desponsaretur, Deique Unigentium Filium conciperet pareretque.

Sic divina quadam cum maiestate introducta in orbem est Virgo Sanctissima: *Missus est Angelus Gabriel a Deo . . . ad Virginem . . . et ingressus ad Virginem Angelus dixit ei: Ave, gratia plena, Dominus tecum*²⁹. Sic utique: *Signum magnum apparuit in coelo*; apparuit ex insperato, coelitus divinitusque apparuit, Dei manu et arte formata. Sicut prima illa viventium mater Eva primo homini de terra, Adamo, efformata simillima fuit³⁰; ita Maria secundo homini de coelo, Christo, coelestis utique mulier. Hinc ait quod *signum magnum apparuit in coelo*.

V. Hac coelesti visione voluit Deus orthodoxae³¹ Ecclesiae utcumque divina Mariae magnalia demonstrare ac reserare fidelibus quae latebant in Virgine, ut sciant omnes qualis et quanta sit gloria Virginis ex iis quae de ea scripta sunt.

Duo sunt, ut summatim dicam, quae de Virgine divinitus nobis sunt tradita: quod Sponsa Dei extiterit et Mater Christi; sicut de Eva quod fuerit coniux Adami et hominum genitrix. Sic utique in hac visione duo haec humanis praesentata sunt mentibus: quod Sponsa sit

²⁴ N. 11 (P. G. 42, 1043).

²⁵ Gn. 14, 18.

²⁶ Hebr. 7, 1-3.

²⁷ Ps. 64, 1.

²⁸ 2 Petr. 1, 21.

²⁹ Lc. 1, 26-28.

³⁰ Gn. 2, 7.

³¹ Ms: *Orthodox*.

Dei, Regina coeli, Sponsa Summi Regis, et quod Christum Unigenitum Filium Dei verumque Deum conceperit pepereritque. Sed duo haec qualis quantaque gloria comitatur! Amictus ostendit, thronus et corona: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* O mirabilem visionem!

Saepe legimus apparuisse Deum ipsum sanctis et Deo dignis Patriarchis et Prophetis ad manifestandam illis gloriam suam, sed nunquam in tali tantaque gloria et maiestate. Apparuit Abrahamo in coelo in medio siderum³². Apparuit Iacob in summitate scalae coelestis, ministrantibus Angelis³³. Apparuit Moysi in rubo ardenti³⁴. Apparuit Isaiae super solium excelsum et elevatum, cantantibus Seraphim divinum trisagium³⁵. Apparuit Ieremiae cum virga vigilante³⁶; Ezechieli in curru gloriae triumphali³⁷; Danieli in maiestate iudicis³⁸. Sed nullibi amictum hunc, thronum et coronam legimus.

Ostendit gloriam suam Christus electis Apostolis in monte sancto, quando *transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*³⁹. Sed non totus instar solis resplenduit, nec stellis coronatus, aut supra lunam exaltatus apparuit. Alias saepe, ut in *Apocalypsi* legimus, visus fuit Ioanni Christus in gloria, spendenti facie instar solis; sed nunc in medio septem candelabrorum aureorum et stellarum⁴⁰; nunc iride coronatus⁴¹; nunc multis coronis redimitus⁴²; nunquam tamen tanta cum gloria.

Quid est hoc? Nunc gloria Virginis in coelo maior est gloria Christi? gloria Dei? Minime gentium. Sed sicut in principium et regum mundi huius curiis usu venire solet, ut regina, in nuptiis et publicis solemnitatibus, splendidioribus multoque ditioribus indumentis, auro gemmisque pretiosissimis multo ornatior ac, ut ita dicam, multo gloriosior appareat quam ipse rex aut princeps regis filius, pro status sexusque decentia; ita maiori gloria circumamicta in coelo Maria apparuit, quam unquam Deus aut Christus apparuerit.

VI. Nec mirum. Cum enim Christus in mundo magna signorum et miraculorum gloria claruerit, Apostolos suos et maxime Petrum, vicarium suum et Apostolorum coryphaeum, non minori sed maiori voluit gloria miraculorum coruscare: Qui in me credunt, et haec facient, et maiora horum facient⁴³. Sic Matrem, sua mirabiliori voluit gloria apparere: *Signum magnum apparuit in coelo.* Vere magnum signum: magnum, augustum divinumque miraculum! Hoc enim est signum magnum: miraculum. Sicut: *Pete tibi*

³² Cf. Gn 15, 5.

³³ Cf. Gn. 28, 12-13.

³⁴ Cf. Ex. 3, 2.

³⁵ Cf. Is. 6, 1-3.

³⁶ Cf. Ier. 1, 11.

³⁷ Cf. Ez. 10, 8-9.

³⁸ Cf. Dn. 7, 10.

³⁹ Mt. 17, 2.

⁴⁰ Cf. Apoc. 1, 13-16.

⁴¹ Ibid. 4, 2-3.

⁴² Ibid. 4-10.

⁴³ Cf. Io. 14, 12.

*signum a Domino Deo tuo*⁴⁴, id est, *miraculum*. *Magister, volumus a te signum videre*⁴⁵: sic Moyses multa signa in Aegypto edidisse scribitur⁴⁶: sic Ezechias signum ab Isaia petit⁴⁷: sic de Ioanne scriptum est quod *nullum signum fecit*⁴⁸. Igitur signum magnum miraculum intelligitur.

Et hoc primum est Deiparae Virginis encomium, quod ipsa magnum miraculum mundo extitit. Divus Ignatius, *Epistola prima ad Ioannem*. Deiparam appellat « coeleste prodigium et sacratissimum spectaculum »⁴⁹. Beatus Ephraem Syrus, libro *De Laudibus Virginis*. ipsam dicit « praestantissimum orbis terrae miraculum et Sanctorum coronam »⁵⁰. Ioannes Chrysostomus, in sermone *De Nativitate*, Virginem inquit revera magnum fuisse miraculum⁵¹. Epiphanius similiter, in suo quodam sermone, ait: « Stupendum est miraculum in coelis, mulier amicta sole. Stupendum est miraculum in coelis, mulier gestans lucem in ulnis. Stupendum est miraculum in coelis, alter thronus cherubicus. Stupendum miraculum, thalamus Virginis habens Filium Dei »⁵².

Mirabilis fuit scala visa Iacob in somnis, unde ait: *Vere Dominus est in loco isto . . . Pavensque: Quam terribilis est . . . locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli*⁵³; sed Virginem designabat veram domum Dei. Mirabilis rubus Moysis ardens: *Ibo et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*⁵⁴; sed Virginem praemonstrabat, « habentem gaudia matris cum virginitatis honore »⁵⁵. Mirabilis virga Aaron, quae miraculo floruit fronditque et fructus edidit⁵⁶; sed Virginis huius typus fuit: *Egredietur virga de radice Iesse*⁵⁷. *Exsurget virga ex Israel*⁵⁸. Mirabilis arca testamenti quae tot miracula operata fuit⁵⁹; sed quid nisi Virginis hieroglyphicum extitit? Mirabile templum Domini, de quo ait: *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate*⁶⁰; sed Maria verum Dei templum, in qua omnis plenitudo Divinitatis inhabitavit⁶¹. Mirabilis domus Salamonis quae reginam

⁴⁴ Is. 7, 11.

⁴⁵ Mt. 12, 38.

⁴⁶ Cf. Ex. 7, 8 et 12, 36.

⁴⁷ Cf. Is. 38, 22.

⁴⁸ Io. 10, 41.

⁴⁹ P. G. 5, 944. Apocrypha.

⁵⁰ Potius Serm. t. 1, pag. 599.

⁵¹ Cf. *In Nativ. Christi*, circa principium (P. G. 56, 388). Ad sensum.

⁵² *De Laud. Virginis*, circa medium (P. G. 43, 493).

⁵³ Gn. 28, 12-17.

⁵⁴ Ex. 3, 3.

⁵⁵ C. Sedulius, *Carm. Pasch.* vr. 65. (P. L. 19, 203).

⁵⁶ Nm. 17, 8.

⁵⁷ Is. 11, 1.

⁵⁸ Nm. 24, 17. Vulg. habet: *Consurget et de*.

⁵⁹ Cf. 1 Rg. 5, 8-10 et 6, 19-21.

⁶⁰ Ps. 65, 5-6.

⁶¹ Cf. Col. 2, 9.

Sabam in stuporem deduxit⁶²; sed haec vera domus veri Salamonis Christi, regis pacifici, extitit: *Ecce plus quam Salomon hic*⁶³. O magnum miraculum! quem coelum et coeli coelorum capere non poterant, suo gremio contulit!⁶⁴ *Novum faciet Dominus super terram, femina circumdabit virum*⁶⁵. *Dominus dabit ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet filium*⁶⁶, Emmanuelem, Deum hominem, perfectum Deum, perfectum hominem. *Quis audivit unquam tale? et quis vidit huius simile?*⁶⁷

Christus etiam in Sacris Litteris miraculum appellatur: *Vocabitur nomen eius admirabilis*⁶⁸, hebr. *miraculum*. Sic etiam legimus: *Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum*⁶⁹. Non vacat autem mysterio, quod singulariter Christus miraculum dicitur. Nam omnia opera Dei, maxime in creatione, iustificatione et glorificatione, miracula appellari possunt. Unde ait: *Mirabilia opera tua et anima mea cognoscet nimis*⁷⁰. Et alibi: *Qui facit mirabilia magna solus . . . fecit coelos in intellectu . . . fundavit terram super aquas . . . fecit luminaria magna*⁷¹. Sed Christus homo, inter omnia opera Dei, est, sicut sol inter astra, augustissimum Dei miraculum. Hinc Angelus ille qui, in persona Christi, parentibus Samsonis apparuit, mirabilis⁷², sive miraculum, aut etiam faciens miraculum appellabatur. Et, Ps. 88, ubi legimus: *Confiteantur coeli mirabilia tua, Domine*⁷³, hebr. est: *Laudent coeli miraculum tuum, Domine, et veritatem tuam*. Quis autem nesciat, quod Christus est veritas Dei?

Cum igitur Christus sit augustissimum Dei miraculum de quo etiam Isaia, 25 hebr.: *Laudabo nomen tuum quia fecisti miraculum*⁷⁴; non potest Maria non magnum esse miraculum, cum sit Christo simillima, sicut luna plena soli. Quare sicut in coelo Deus ab initio *duo posuit luminaria magna*⁷⁵; ita in paradiso duo magna miracula, Christum et Mariam. Hinc legimus Angelos mirantes Christum: *Quis est iste rex gloriae? Quis est iste rex gloriae?*⁷⁶ *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae?*⁷⁷ Similiter legimus mirantes Mariam: *Quae est ista quae ascendit de deserto deliciis affluens?*⁷⁸ Et iterum: *Quae est ista quae ascendit per desertum*

⁶² Cf. 3 Rg. 10, 4-7.

⁶³ Mt. 12, 42.

⁶⁴ Cf. *Offic. Parvum B. V.* 1 Resp. in Noct.

⁶⁵ Jer. 31, 22. Vulg. habet: *Creavit*, loc.: *Faciet*.

⁶⁶ Is. 7, 14.

⁶⁷ Is. 66, 8.

⁶⁸ Is. 9, 6.

⁶⁹ Ps. 4, 4.

⁷⁰ Ps. 138, 14. Vulg. habet: *Cognoscit*.

⁷¹ Ps. 135, 4-7.

⁷² Idc. 13, 18.

⁷³ Vr. 6. Vulg. habet: *Confitebuntur*, loc.: *Confiteantur*.

⁷⁴ Is. 25, 1.

⁷⁵ Gn. 1, 16.

⁷⁶ Ps. 23, 8-10.

⁷⁷ Is. 63, 1-2.

⁷⁸ Ct. 8, 5.

*sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii?*⁷⁹ Adhuc etiam: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*⁸⁰ Ter mirantur, quoniam Maria sicut Christus, triplex miraculum est, naturae, gratiae et gloriae. Sicut igitur magum Angelis miraculum Christus, ita et Maria; magnum miraculum Christus, magnum miraculum Maria, Mater Christi: *Signum magnum apparuit in coelo.*

VII. Miraculum dicimus supernaturale divinumque opus excedens naturae vires, quod non nisi divina manus operari potest; nam: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*⁸¹. Sed quae vis unquam naturae elementorum, aut coelorum, imo hominum, aut Angelorum efficere potuisset, ut mulier humili loco nata, virtute et merito super omnes creaturas exaltata, Angelos etiam vinceret puritate, Seraphim caritate, Deo copularetur, Deumque ipsum utero conciperet, et mundo pareret, virgo incorrupta, simul mater et virgo!

Omne opus novum, insolitum, rarum quod intuentes rapit in magnam admirationem et stuporem, miraculum dicere solemus. Sed Maria quam novum, quam rarum, quam insolitum opus omnipotentiae Dei! *Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius*⁸². Moyses descendens de monte, splendenti facie, veluti miraculum fuit Hebraeis⁸³. Quale miraculum esset nobis Maria, si una cum Ioanne videre eam liceret in coelesti gloria!

Sed fuit etiam miraculum virtutis et sanctitatis plane superhumanae, superangelicae, vere divinae, Maria in mundo. Excellentissimum quemque in quavis arte et professione, cuius actiones et opera magnopere solent mirari homines, mirabilem dicimus, miraculum in natura. Maria autem excellentissima fuit in arte et professione virtutis et sanctitatis. Nam per templum virtutis ingressa est templum honoris et gloriae apud Deum et Angelos sanctos in coelo. Hinc Archangelus Gabriel, summus Angelorum princeps, virtutem Mariae admirans, magna cum reverentia eam salutavit, dicens: *Ave, gratia plena, Dominus tecum*⁸⁴. Quid est quod gratia plenam dixit, nisi quia Angelis multo plenioris conspexit? O miraculum sanctitatis!

In omnibus quidem miraculum magnum Maria fuit, quia miraculo concepta ex parentibus sterilibus senibusque, sicut Isaac⁸⁵, sicut Ioannes⁸⁶, praenunciata etiam per Angelum ipsius conceptione sicut et illorum⁸⁷, necnon et Samsonis⁸⁸; miraculo nata fuit, sicut nativitatem Ioannis multi supra quam dici possit mirati fuerunt⁸⁹; miraculum in corpore: *Pulcherrima*

⁷⁹ Ibid. 3, 6.

⁸⁰ Ibid. 6, 9.

⁸¹ Lc. 1, 37.

⁸² Lc. 1, 49.

⁸³ Cf. Ex. 34, 30-35.

⁸⁴ Lc. 1, 28.

⁸⁵ Cf. Gn. 21, 1.

⁸⁶ Cf. Lc. 1, 36.

⁸⁷ Cf. Gn. 17, 16 et 18, 10; Lc. 1, 13.

⁸⁸ Cf. Idc. 13, 3.

⁸⁹ Cf. Lc. 1, 57-67.

*mulierum*⁹⁰; miraculum in anima: sanctissima animarum⁹¹; miraculum in vita, superhumana, superangelica, plusquam seraphica; mirabilis in morte, nam, si: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*⁹². unde saepe Deus multis miraculis honorat atque illustrat mortem sanctorum suorum; quam pretiosa censenda est exitisse eius mors Sanctissimae Matris ipsius? Tandem miraculum magnum post mortem, cum a dilectissimo Filio suo, destructore mortis et vitae auctore, veluti a levi somno excitata, in coelum, immortalis gloria donata, comitantibus Angelis assumpta fuit, et ad dexteram Maiestatis tanquam altissima Regina, Dei Sponsa et Christi vera Mater mirabiliter collocata. Sic utique: *Signum magnum apparuit in coelo*.

Sed singulariter miraculum virtutis et sanctitatis, Maria. Sanctus quidam Doctor aiebat quod « tria sibi miracula magna videbantur: Deus et Homo, hoc primum: Mater et Virgo, hoc secundum: fides et cor humanum, hoc tertium »⁹³. Nam propterea Christus, visa fide Centurionis, miratus fuit⁹⁴. In Maria autem fides perfecta fuit: *Beata quae credidisti, quoniam perficienter ea quae dicta sunt tibi a Domino*⁹⁵. Tunc autem vere magnum miraculum est fides et cor humanum, cum fides viva, non sicut corpus sine spiritu, cum per dilectionem et caritatem operatur⁹⁶. Fides Mariae viva fuit; hinc statim ut Angelo fidem praestitit, *abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda*⁹⁷, ad visitandam cognatam suam Elisabeth. O mirabilem fidem, caritatem, humilitatem! *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?*⁹⁸ Divini honores non mutarunt Virginis Beatissimae mores.

VIII. Sic nunc quoque mirabili humilitate et caritate praedita est erga nos, ut subveniat necessitatibus, nostrasque relevet miseras, misericordiarum Mater, divinarum fons gratiarum, mare, pelagus immensum caritatis et clementiae. Erga omnes namque fideles Christi materna affecta est caritate, omnes et singulos prosequitur maternis visceribus; quoniam in Ioanne quisquis fidelium ei commendatus fuit a Christo in cruce, dum ait ad eam: *Mulier, ecce filius tuus*⁹⁹. Sicut autem per Isaiam dicitur, quod non potest mulier oblivisci infantem suum ut non recordetur filii uteri sui¹⁰⁰, ita de Virgine Beatissima sentiendum nobis est.

Hinc autem sole amicta visa est, ut sciamus, quod sicut sol, unus cum sit, omnes tamen et singulos homines illuminat fovetque suo calore ac si pro singulis hominibus a Deo conditus fuisset, non enim est qui se abscondat a calore eius¹⁰¹; sic Virgo Deipara omnium et

⁹⁰ Ct. 1, 7 et alibi.

⁹¹ Cf. Lc. 1, 28: *Benedicta tu in mulieribus*. Ex aliis locis parallelis.

⁹² Ps. 115, 15.

⁹³ Cf. S. Bern. *Serm. III, in Vigil. Nativ. Domini*, n. 7. (P. L. 183, 763 sqq.).

⁹⁴ Mt. 8, 10.

⁹⁵ Lc. 1, 45.

⁹⁶ Gal. 5, 6.

⁹⁷ Lc. 1, 39.

⁹⁸ Lc. 1, 43.

⁹⁹ Io. 19, 26.

¹⁰⁰ Is. 49, 15. Vulg. habet: *Misereatur filio, loc.: Recordetur filii*.

¹⁰¹ Ps. 18, 7.

singulorum mater est, ita communis omnibus ut singulis mater sit propria. Et sicut sol ab omnibus et singulis hominibus totus videtur, ita ut quilibet hominum oculis percipiat integram solis imaginem; ita fidelium quisquis, si vere ex animo Virgini se totum devoveat, integra poterit eius caritate frui ac si unicus esset filius. Hanc enim ob causam singulariter ei Christus locutus est dicens: *Mulier, ecce filius tuus*.

IX. Signum magnum, augustum miraculum existimatur a multis Lazari suscitationem extitisse, coronam miraculorum Christi, et propterea Christus dixerit: *Infirmetas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam*¹⁰². Ipse autem Salvator suam resurrectionem visus fuit signum et miraculum omnium maximum fecisse, cum Iudaeis, signa petentibus, ait: *Signum non dabitur ei nisi signum Ioniae prophetae*¹⁰³. Signum utique de coelo magnum et omnino mirabile, ut illi petebant; nam resurrexit in ea maiestate et gloria, in qua transfiguratus apparuit, cum *resplenduit facies eius sicut sol*¹⁰⁴. Sed si magnum miraculum Christus post mortem in gloria, ecce Maria post mortem gloriosissima, *amicta sole et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona multarum stellarum*.

Signum magnum! Mirabile valde est ornamentum coeli; unde Regius Vates: *Quoniam videbo coelos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas quae tu fundasti*¹⁰⁵. Videbo, id est, contemplabor, mirabor. Et Sapiens ait de sole: *Vas admirabile, opus Excelsi*¹⁰⁶. Sed nunquam videtur totum simul. Nam in dei quidem sol videtur, non autem stellae; in nocte autem stellae quidem apparent, sed sol sub occasu latet; et luna, cum sub sole est illique coniuncta, omnino nos latet, minime conspicua est. Hic autem et sol videtur et simul luna sub eo splendida cernitur, simulque fulgidissimae stellae micant in coelo. Omne utique coeli ornamentum Deus, creator omnium, in Maria posuit. Quam ergo mirabilis est!

¹⁰² Io. 11, 4.

¹⁰³ Mt. 12, 39.

¹⁰⁴ Mt. 17, 2.

¹⁰⁵ Ps. 8, 4.

¹⁰⁶ Eccl. 43, 2.